

Johann Bacmeister

**Rector Academiae Rostochiensis Joannes Bacmeisterus, Phil. & Med. D. & Professor. Ad exequias funebres ... Iuvenis, Dn. Friderici Lubini, Dn. D. Eilhardi p.m. filii relictii primogeniti, quas Moestißima mater hodie ... paratas cupit, Omnes omnium ordinum cives Academicos officiose & amanter invitat**

Rostochi[i]: Pedanus, 1629

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770851355>

Druck Freier  Zugang



Bacmeister, J.

in

**F. Lubin.**

Rostock. 1629.

67







RECTOR 34.  
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS  
JOANNES BACMEISTERUS,  
Phil. & Med. Doctor & Professor.

*Ad*  
Exequias funebres  
*Humanissimi ac Doctissimi Juvenis,*  
DN. FRIDERICI  
LUBINI,

Dn. D. EILHARDI p. m. filij relictī  
primogeniti,  
*quas*

*Mœstissima mater hodiè ad horam mediam pri-  
mam in templo Jacobæo paratas cupit,*

Omnes omnium ordinum cives Aca-  
demicos officiosè & amanter invitatur



ROSTOCHI  
Typis Joachimi Pedani, Acad. Typog.  
ANNO MDCLXXIX.



RECTOR  
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS,  
JOANNES BACMEISTERUS,  
Phil. & Med. Doct. ac Professor.



Uam fugax & lubrica sit mortali-  
um vita, quam misera & ærum-  
nabilis cunctorum conditio,  
quotidiano patet experimento,  
adeo ut nimis verè olim *Lyricus*  
*Vates*: Τι δένος; τι δὲ ἕλας; οὐκ ἔστι  
vac ἀνθρώπων. Imò ipsa Scriptura  
S. vitam humanam, ut rem um-  
bratilem & evanidam cum umbra comparare solet, ut  
Job. 8. v. 9. cap. 14. v. 3. Pf. 102. v. 12. Pf. 144. v. 4. Sicut  
enim umbra tamdiu durat & accrescit donec Sol vergat  
ad occasum, & obtutui nostro sese penitus subducat:  
Sic vita nostra quo duravit & accrevit diutius (quia quò  
longior, eo occasui propior) eò occidit citius. Et sicut  
post solem occiduum, evanescente jam umbrâ nox illi  
longa in suo κοιμητηρίῳ dormienda est, donec sonitu divi-  
ni clangoris excitetur & redivivus coram tribunali Ἰαν-  
θράωχ: Christi sistatur. Hinc verè *Horat. lib. i. carm.*  
*Ode. 28.*

Omnes

*Omnes una manet nox,*

*Et calcanda semel via leri.*

In hac enim mortalitate τὸ ἀθάνατον prorsus est ἀδύνατον. Memor proinde esto animula mea vitæ hujus miseriæ & fugacitatis. Vita hæc dum crescit, simul decrescit, dum augetur, simul minuitur, dum ad annos accedit, ab annis simul decedit. Siquidem quotidie morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vitæ, & tunc quoq; cum crescimus, vita decrescit, Senec. Epist. 24. Hinc Poëta:

*Nascentes morimur finisq; ab Origine pender.*

Vitæ enim hujus principium, statim mortis est exordium cum ab ipsis incunabilis & in ipsa tenella infantium ætate mors suum crudele exerceat imperium, unde nimis vulgare est, formidabile illud mortis ostentum. Mortis enim symbolum est: PARCO NULLI. Non enim respicit Magnatum potentiam, nec æstimat sapientium scientiam, nec veretur robustorum fortitudinem, nec curat formosorum elegantiam & venustatem, nec senum reverentiam, nec puerorum verecundiam: Omnibus quovis horæ momento mors insidiatur, & omnium est una eademq; vitæ clausula. Unde Poëta:

*Tendimus huc omnes, metam properamus ad unam.*

Omnes enim ea conditione nati sunt, ut aliquando ipsis vita cum morte sit commutanda Cicer. lib. 1. Tusc. Quia commorandi non habitandi nobis diversorium natura dedit. Idem de Senect. Οὐ γὰρ ἐχομεν ἀδεμΕΝΟΥΣΑΝ πόλιν, ἀλλὰ τὴν ΜΕΛΛΟΥΣΑΝ Ἰησι-ζῆ πῦρ, Heb. 13. v. 14. Ἡμῶν γὰρ πλῆθος ἐν βραβοῖς παράγει, Phil. 3 v. 20. Abraham in terra Canaan proprium habitandi locum non habebat, sed tantum sepulchrum hæreditarium possidebat: Sic in vita præsentī nobis non est habitaculum: Naturæ tamen hæredio acquisitum.



sepulcrum: super terram stabilem non habemus domunculam: at sub terra corporis nostri mansionem habemus certam. Quid igitur homo est? mancipium mortis, ludibrium Fortunæ, spectaculum miseriæ. Itaque summa summarum hoc est: *VITÆ SUMMA BREVIS*. Horat. lib. 1. Carm. Od. 4. Ποία γὰρ ἡ ζωὴ ὑμῶν; ἀλπίς γὰρ ἐστὶν ἡ ζωὴ: ὀλίγον φαινομένη, ἐπειτα δὲ ἀφανίζομένη. Jac. 4. v. 14. Quæ hæc tenus dicta sunt, flebili exemplo & lamentabili morte suâ probat præstantissimus & literatissimus vir **JUENIS FRIDERICUS LUBINUS**, Phil: & Med: Studiofissimus, magni istius viri, Reverendi, Clarissimi, & Excellentissimi, Dn. **EILHARDI LUBINI**. SS. Theol. D. & quondam Professoris in hac Academia celeberrimi, filius, & famigerabilis istius Medici, Dn. **WILHELMI LAUREMBERGII**, Phil. & Med. D. itidem Professoris in hac Musarum palestra celeberrimi, ex filia primogenita **CATHARINA** femina omni virtutum decore conspicua, nepos. Ex his honestissimis, & præclaris parentibus ortum duxit, piè defunctus noster **FRIDERICUS LUBINUS**, Natus Anno Christi millesimo sexcentesimo quinto, die, post diem D. Jacobi, octavo, qui postquam διὰ λειτουργίᾳ παλ. & ἱεροσολ. in Ecclesiæ consortium adscitus & susceptus esset, vix triennium absolvit, cum dilectissimus ipsius parens studio indefatigabili ipsum exercuit, adhibitis in dies singulos aliquot præceptoribus, qui facili labore & singulari methodo, paucis annis cum ita informarunt, ut rudimenta pietatis ex affeseiret, utriusque linguæ tam Græcæ & Latinae, imo & Hebrææ peritia polleret, & fundamenta Mathematica, ac propositiones Euclidis, quamvis huic ætati demonstratu non adeo faciles, bacillo demonstrare posset; Ita instructus, & literarum notitia probe:

probè peritus, à Clarissimo parente suo, uno cum fratre  
Wilhelmo, qui jam peregrè abest, hinc in Holsatiam in  
Illustrissimi Principis Scholam monasterij Borsholmiani  
missus, & ferulæ Rectoris Magistri JOANNIS VICO-  
STADII traditus est, ubi prompto discipuli obsequio,  
Præceptores suos veneratus, debitoq; scholaris officio  
ita functus est, ut & præceptorum, & aliorum, qui ipsi  
condisciplinatu familiares erant, laudem mereretur non  
exiguam. Post obitum vero Dn. Parentis desideratissi-  
mi, exacto jam triennio huc domum ad carissimam ma-  
trem rediit, quæ illi & duobus ejus fratribus majoribus  
præceptorem præfecit, qui illos suctâ Parentis metho-  
do informaret, sub cujus cura, ultra sesquiannum sedu-  
lus fuit. Cum vero, ferè ante quinquennium pestis se-  
vitia hanc infestaret urbem, & in carissimæ matris ab-  
sentia ædium curatrix hac labe inficeretur, metu peri-  
culi, à matre redeunte in Daniam, unâ cum fratre WIL-  
HELMO, ad Avunculum suum virum insignem & Ma-  
thematicum celeberrimum Dn. D. JOANNEM LAV-  
REMBERGIVM Professorem Regium in academiâ no-  
bilium Soranâ, missus ejusq; curæ & patrocinio com-  
mendatus est; ubi tamen non ita diu substitit sed ma-  
ternæ conditionis desiderio, post anni quadrantem, re-  
lictò in Dania fratre Rostochium remeavit, ubi per an-  
num apud matrem permanfit, & Medicinæ vestibula  
salutare cepit, ac suasu carissimæ matris suæ ductum,  
Avunculi sui Clarissimi & Excellentissimi viri Dn. WIL-  
HELMI LAVREMBERGII Phil: & Med: D. & jam Illu-  
strissimi Principis Holsatiæ Dn. JOACHIMI ERNESTI,  
Archiatri, cujus contubernio tunc utebatur, secutus ani-  
mum tandem huic studio totum mancipavit. Demum  
secundo ab hinc in Daniam ad dictum Avunculum suum,

virum Clariss: Dn JOANNEM LAVREMBERGIVM,  
abiit, qui cum aliquandiu domi suæ aluit, & datâ occa-  
sione in Academia Regia Sorana quibusdam nobilibus  
præceptorem præfecit, ubi cum biennio commoratus  
esset in Belgium profectus ibiq; à celeberrimis Me-  
dicis aliisq; Clarissimis viris, propter morum ama-  
bilitatem & singularem eruditionem, in intimioris  
amicitiæ secreta intromissus, familiariter cum iisdem,  
conversatus est. Cum vero non parum temporis Lugdu-  
ni Batavorum præstolatus esset, Avunculi sui toties dicti  
amore, quem unice deperibat Soram reversus, & con-  
victu corculi sui JANI LAVREMBERGII, aliquandiu  
usus est, à quo complementa eximie eruditionis suæ, &  
inprimis scientiæ Mathematicæ & Architecturæ Bellicæ  
plenius hausit, donec tandem amore Patriæ & Carissimæ  
matris desiderio motus hæc reviseret Academiã. Huc igitur  
ante tres septimanas die Maij quinto Sorã Danorum  
redit magno amicorum plausu & gratulatione. Verum  
animus non diu hic morandi, sed prima quavis occasione  
ad Regnorũ exterorũ academias invifendi nostro FRIDE-  
RICO fuit, sed longe aliud fuit Divinæ voluntatis consi-  
liũ, quam bonæ illius mentis propositũ. Qui n. matri suæ  
carus erat, Deo patri suo carior ex hac vita, in vitã longè  
cariorem translatus est. Nam octodecim tantum dies  
hic vivus fuit, novem dies abq; valetudinis adversæ mo-  
lestia: novem dies sub morbi acutissimi tortura. Nocte  
enim quæ diem ascensionis Christi præcedebat vehe-  
mentissima & acutã febris correptus est, quæ in dies ita  
invalescibat, ut omnem medicorum, etiam peritissimorum  
opem & operam eludere videretur. Proinde ex illa  
periculosa febris semet eluctaturum diffidens à medela  
corpo-

corporis ad animæ curam sese convertit, & sexto à decubitus sui die, virum Reverendum & literatissimum Dn. M. JOANNEM CORFINIVM accersiri curavit, cui devotâ mente peccata sua confessus eorum remissionis annuntiationem in Christi nomine enixè efflagitabat & communicationem corporis & sanguinis Christi mediante pane & vino anxie expetebat. Cumq; complexis manibus & ardenti devotione sacra hæc percepisset Deo agebat gratias quam maximas, sibiq; nunquam in morbo melius fuisse asserebat. Tandem die subsequa, morbus naturam acri quodam conflictu superâs FRIDERICVM nostrum inter pias & devotas preces ac carissimæ matris, fratrû, Sororculæ & amicorû lachrymas præterita die Veneris circa vesperam statim post septimam felici & placido exitu sustulit, ipseq; mortalitatis exemplum moriendiq; artificium, superstitionibus reliquit. Dignus certè erat qui omnium amore diutius frueretur, qui omnes obsequibili favore prosequeretur, homo pius, modestus, affabilis, prudens, honestus, & qui meritò dicere tum vir omnium horarû, qui virtutum moderamine omnes suas actiones ita dirigebat, ut gloriâ Dei tanquam unicum vitæ scopum respicere, & servitia proximo suo lubentissime exhiberet, proinde ab omnibus, ubicunq; locorum peregrinatus est, quam diligentissime observabatur. Debitâ quoq; submissione superiores suspiciebat, nec sublimi oculo inferiores despiciebat: sed mores suos ita cuivis accommodabat, ut in sui amorem facile quemvis pelliceret, ut sane diuturniore lucis usurâ (si Divinæ voluntatis concessu fieri potuisset) dignissimus fuisset. Cum verò, luctuosissimus hic obitus neminem adeo ex cruet, quam dilectissimam ejus matrem,

trem, matronam spectatissimæ probitatis, & reliquarum  
virtutum ornamento decoram, ut cui filius hic piè de-  
functus in omnibus sese morigerum & obsequentissi-  
mum exhibuit, eiq; omnem curam & beneficentiæ officia  
sanctè promisit, Deum rogamus supplices ut suâ pater-  
nâ consolatione, & sublevamine illi succurrere & gra-  
vissimum hunc dolorem lenire clementer velit. No-  
bis nunc incumbit, ut condolentiam nostram mœ-  
stissimæ matri contestemur, atque etiam propter piè  
defunctum parentem Reverendum & Clarissimum vi-  
rum DN. D. EILHARDVM LVBBINVM, &  
præstantissimum, experientissimumq; DN. D. WIL-  
HELMVM LAVREMBERGIVM, celeberrimos quon-  
dam hujus Academiæ Professores, deq; ea optime me-  
ritos, exequias eamus, & exuvias demortui honestis &  
usitatis ceremoniis, ad sepulturam deducamus. Pera-  
manter itaq; invito patres Academiæ Clarissimos, Do-  
minos Doctores, Ecclesiæ ministros, Magistros, & juven-  
tutem Studiosam, ut hora media I. in templo Jacobæo  
frequentes conveniant, & funeris hujus deductionem  
suâ cohonestent præsentia, & hunc commilitionem no-  
strum, eò lubentes volentesq; prosequantur, quo nobis  
olim omnibus, si Deo cujus in manu fortes nostræ, visum  
fuerit, abeundum erit & semetipsos, & utramq; Remp.  
litterariam & civilem piis, precibus, tristissimis hisce  
temporibus Deo opt. max. quam diligentissimè com-  
mendent, P. P. 26. Maij Anno 1629.





GK







corporis ad animæ curam sese conve-  
bitus sui die, virum Reverendum &  
M. JOANNEM CORFINIVM acce-  
votâ mente peccata sua confessus  
annuntiationem in Christi nomine  
communicationem corporis & san-  
diante pane & vino anxie expeteba  
manibus & ardenti devotione sacra  
agebat gratias quam maximas, sibiq  
bo melius fuisse afferebat. Tandem di-  
naturam acri quodam conflictu super  
nostrum inter pias & devotas preces  
fratrû, Sororculâ & amicorû lachrym  
neris circa vesperam statim post septi-  
do exitu sustulit, ipseq; mortalita-  
riendiq; artificium, supersticibus relic-  
erat qui omnium amore diutius fru-  
obsequibili favore prosequeretur,  
stus, affabilis, prudens, honestus, &  
tum vir omnium horarû, qui virtutu  
mnes suas actiones ita dirigebat, ut  
quam unicum vitæ scopum respiceret  
mo suo lubentissime exhiberet, pro  
ubicunq; locorum peregrinatus est, qu  
observabatur. Debitâ quoq; submissi-  
spiciebat, nec sublimi oculo inferior  
mores suos ita cuivis accommodabat  
facile quemvis pelliceret, ut sane diut  
râ (si Divinæ voluntatis concessu fier  
simus fuisset. Cum vero, luctuosissim  
minem adeo ex cruet, quam dilect



the scale towards document

â decu-  
um Dn.  
s, cui de-  
sionis  
tabat &  
iffi me-  
onplexis  
ffet Deo  
in mor-  
morbus  
RICVM  
matris,  
die Ve-  
& placi-  
m mo-  
s certè  
omnes  
mode-  
dicere  
nine o-  
ei tan-  
proxi-  
nibus,  
tissimè  
res su-  
at: sed  
norem  
is usu-  
dignif-  
us ne-  
is ma-  
trem,